



## CAPITIS PRIMI GENESEOS

Argumentum, Vſus, Partitio.

**C**aput primum recitat hiftoriam creationis cœli & terræ, & omnium, quæ horum ambitu continentur. Exponit autem, à quo, quando, quomodo, quo ordine, qualia, & quanto tempore hæc omnia fuerint producta, nempe, quod Deus in principio temporis, ſolo nutu & verbo, non ſimul omnia, ſed alia poſt alia, bona & perfectæ valde, ſex dierum ſpacio, ex nihilo creauerit: præcipue quod hominem poſt omnia conditum ad ſuam imaginem, mundo affluentiffime iam inſtructo colorum induxerit, qui creaturis inferioribus omnibus præſſet, creatori vero ipſe ſeruiret.

Hæc narratio cum ſit abſtruſiffima, nec vlla ſapientia humana perueſtigabilis: humiles ac dociles animos requirit. Neque enim ratione tenemus, ſed fide intelligimus, mundum conſtructum fuiſſe verbo Dei, quod quæ cernimus ſint ex non apparentibus facta, teſte Apoſtolo Hebr. 11. 3. Sparguntur igitur in hoc capite ſemina veræ doctrinæ de Deo, eiusque immenſa potentia, ſapientia, bonitate, & prouidentia: & de vniuerſa rerum natura, quod non ſit ab æterno, nec à ſeipſa, aut caſu orta, ſed liberrimo & ſapientiſſimo conſilio Conditoris Dei aliquando producta ex nihilo: & de præſtantia originali ac ſine præcipuo nature humana, quod Deus in eam ſparſerit radios ſuæ ſapientia, iuſtitia & libertatis, vt ab ea agnoſcatur & colatur in æternum.

Partes ſunt duæ.



**P**RIOR est propositio A totius narrationis v. 1.

Altera est ἐξεργασία propositionis à ver. 2. ad finem: exponens opera ſex dierum:

I. De terra, qualis fuerit in primo puncto creationis, & de creata luce die prima: vſque ad ver. 6.

II. De cœlo creato die ſecunda: vſq; ad ver. 9.

III. De diſcretionem aquarum & terræ, & de productis è terra germinibus. die tertia: vſque ad ver. 13.

IV. De aſtris, ſole & luna conditis die quarta: vſque ad ver. 20.

V. De piſcibus, reptilibus, & volatilibus creatis die quinta: vſque ad ver. ſic. 24.

VI. De creatis iumentis, beſtiis & homine, die ſexta: vſque ad finem.

### PRIMA PARS CAPITIS.

Propoſitio narrationis ſequentis.

ver. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.*

#### LECTIO.

**I**N PRINCIPIO] Hebr. בראשית *in principio*. Vox ראשית ſignificat principium temporis, ordinis, dignitatis: aliquando primitias Leuit. 23. 10. *Offeretis ſacerdoti Homer.* ראשית *primitiarum meſſis veſtræ*: à ראש *caput*. Hic temporis eſt: quia ſignificare vult Moſes, mundum aliquando non fuiſſe, ſed tunc eſſe cœpiſſe, cum crearetur à Deo. Putant aliqui ב redundare pro ראשית *initio*: ſicut Proverb. 8. 2. *Dominus poſſedit me ראשית גיא ſua*. Sed non eſt probabile, primam literam totius Scripturæ poſitam eſſe redundanter. Locus Prou. 8 eſt diſſimilis: quia ibi ſapientia loquitur non de principio tēporis, ſed de æternitate ipſa. Accipitur ergo *In principio* hic vt Ioh. 1. 1. *In principio erat λόγος*: hoc eſt: in eo puncto, quo & tempus & res omnes eſſe cœperunt, λόγος iam erat: vnde ſequitur λόγος eſſe æternum, & Deum.

F

CREA-